Vir
Maxime Reverende
atque Excellentissime,
Theologorum solertissime

Ducem beasti Serenissimum eruditissimo Tuo novo Opere Theologico. Sed munus nobile ante paucos demum dies, per multas forte ambages, huc ad me delatum. Absque mora Principi Serenissimo exhibui. Qui etsi dudum et cum voluptate legerit hoc Tuum memorabile opus,

200v

à Bibliopola redemptum, semperq;
ad manus habeat, hoc tamen
exemplar, à Tua benigna manu
profectum, suae Celsitudini
longe fore carius, clementissime
nunciavit. Sic habet hoc
praeclarum Tuum monumentum
nunc locum in sacratissimo Ducis
pientissimi conclavi, ut semper
sit in oculis manibusq; Principis
religiosissimi. Decentissimus
Tibi, Vir Maxime Reverende
gratias agere, tum pro constanti
Tuo in Ducem affectu, tum
pro luculento munere, clemen
tissime Ejus Celsitudo jussit.

Spondetq; operis historici, res Concilii
Constantiensis complexi, quod Celsissimus
Princeps jam parat, exemplum
quamprimum unus alterve Tomus
absolutus. Tui quoq; Vir Ex-
cellentissime, dignam facere mentio-
nem jussit in Præfatione generali
Tomi I. Quod fiet omnino ex
voto Principis. illorum namq;
memoriam conservari vult Princeps,
qui beneficium aliquod in suam
celsitudinem contulerunt in
hac Historia ex MSctis eruenda.
Angli, eorumq; Primates, novissime
Duci submiserunt egregia antiqua
Monumenta, ad hanc rem pertinentia

201v

In quibus est incomparabile monumentum Richardi Ullerstoni, Theologi olim Oxoniensis, qui circa tempora Concilii Const. de Ecclesiæ illius temporis statu scripsit, à Warthono in Appendice Historiæ Literariæ Cave laudatus. Invictissimus noster Imperator octo Volumina Actorum Constantiensium ex Bibliotheca sua Cæsarea Vindobonensi, inexplicabili gratiâ Duci nostro communicavit.

Ex aliis quorum aulis alia sumus nacti. Ut ultra sexaginta antiqua monumenta MSc, ad rem facientia possideamus, ut taceam obiter hæc attingentia MScta alia.

Ex Cæsarea Bibliotheca tria aut plura Volumina ad hanc historiam spectantia pollicitus est Nesselius. Gebhardi Dacher Constantiensis, qui rebus Concilii interfuit, historiam Concilii auctam dedit Augusta Wolfenbuttelensis. Ulrici Reichenthal similem Concilii descriptionem, cum omnia coram esset intuitus, orbis jam vidit, sæpius recusam. Stumpfii recensio itidem præsto est. In his verò Germanicis relationibus, in quibus et Hussi res depictæ ac descriptæ, non vult inveniri ista observatio, quam aliàs ex exemplari, sub finem superioris seculi edito, et apud Vos asservato, communicaveras, quando infulâ Hussiticâ inscriptio Hæresiarcha

ita explicata, hæresium arca, omni Antiho
alter Ἐξήγησις. Putaverim igitur
aliam illam esse et alius autoris recensio-
nem Concilii, non Reinbertali, neque
Dacheri, neque Stumphii. Utinam et
hanc inspicere aliquando detur pro La-
tina isthac Henrici de Croaria, quæ
prima est, Actorum editione, quam ex
Augusta Wolfenbuttelensi jam possideo,
adeoque jam statim ad te redit. De
cetero Grammaticam nostram in Esai. XI.
Tibi Vir Maxime Reverende, Philologo
Clarissimo, non displicuisse, cum voluptate
perspexi. Si quid ex Justeri, ut ajunt,
cathedra fulminis fueris animadversum,
plumam objicere fas fuerit. Fuerat
novissime, vel in his oris incantus, qui

in isthac cathedra se constitisse pateret, ut pro illa sibi loquendum crederet. Verum illi Ceterisq aula, Philologia pretium ponens, silentium mox dictavit, ut puderet quid dixisse. Schmidius noster salvus est et incolumis. Publicum Matheseos nomen non quidem prae se fert, nihilominus ex indul-tis per aulas Collegiis et publicum et priva-tum fert salarium. Nos familiariter de multis saepe rebus confabulamur. Techtium dum poterit non admissurus videtur Acade-mia nostra Senior, quod in scriptis publicis dissertationibusq Academicis hunc aliquoties notaverit. Verum ob eruditionem et fa-mam arma Techtii aulis nostris commen-datissima absq dubio hic aliquando cum gloria suspendentur. Gracimus

203v

salva sit in talibus sententia, absq; odio aut simultate. Ferre dissensum in multis par est. Quadam igitur es hoc ipsi militi atq; belli armorumq; gloriam consecuto, ut impune olim gladium strinxerit.

Vale Vir Clarissime, ac amare perge

Vir Maxime Reverende

Tui observantissimum

Helmst. A. 1696. d. 11. Febr.

Eltshardt.